

b) Celebrans simulans.

Vd.: *Sacerdos simulans.*

19) In Coena Domini.

a) Non licita.

Cf.: *Missa in Coena D.* (priv. decr. n. 4378.)

In Ecclesiis, in quibus non assertatur SSimum, non licet celebrari Missam fer. V. in coena Dom. et in Sepulchro idem SSimum asservari. n. 1990 die 14. Junii 1659.

Ad dubium: an liceat capellano Confrat. SS. Sacramenti Montis Marci canere missam fer. V. in Coena Dom. in Ecclesia Confraternitatis? S. C. resp.: Servetur decretum Episcopi (quod prohibuit.) n. 3457 ad 2 die 28. Jan. 1698.

Confratribus s. verae Crucis non licet celebrare seu celebrari facere missam solem. in Capella s. Joannis Oppidi de Keres de la Frontera fer. V. major. hebdomadae. n. 3297 ad 1 die 20. Decb. 1692; n. 3627 ad 1 die 6. Maii 1702.

De licentia celebr. in Cathedr., si Episcopus duarum Dioecesium in una tantum ex eis celebr. potest, vd.: *Missa* (duae non sunt leg. ab uno Sacerd. uno die etc. decr. Bened. XIV.).

b) Privata.

Vd.: *Credo in Missa in Coena Dom.*

Ad dubium: utrum in die Coenae D. missae privatae dici non possint de quacunque necessitate, praesertim, dum occurrat *Annuntiatio B. V. M.?* S. C. resp.: Servandum esse decretum Generale pro festo s. Josepho die 13. Sept. 1692.

Vd.: *S. Joseph. decr. n. 3289 et seq.*

Indulti celebrare faciendi in Ecclesia parochiali s. Marg. Venetiarum fer. V. in coena D. plures missas lectas ante conventualem, S. C. resp.: Servetur

ritus Ecclesiae universalis. n. 4309 die 20. Mart. 1762.

In fer. V. in Coena Dom. celebrari potest arbitrio Episcopi in Ecclesia una missa privata propter infirmos excepta sol. n. 4361 ad 9 die 27. Mart. 1773.

Ad dubium: an graviter peccet Sacerdos celebrans missam privat. in fer. V. in Coena Dom. sive etiam sol. in illa Ecclesia, ubi non reponitur nec assertatur SSimum in aliquo altari vel alio loco decenti, vulgo dicto il Sepulchro? S. C. resp.: Non licere et Sacerdos se absteineat. n. 4378 ad 17 die 15. Junii 1776.

Ad dubium: an in Ecclesiis, ubi Functiones maj. hebdom. fieri nequeunt, Fer. V. in Coena Dom. celebrari possit missa lecta? S. C. resp.: Negative. n. 4870 ad 1 die 31. Aug. 1839.

Vd.: *Sabb. s.* (missa priv. decr. de die 11. Febr. 1690 *nota.*)

Clemens PP. XIV.

V. Fr. Cajetanus Anton. Episcopus Civitatis statim ac in ejusdem Ecclesiae pastorem praefectus fuit, vigilantia ac sollicitudine quidem pastorali primum Capitulum et Canonicos semel ac iterum monitos reddidit, postmodum vero suo gener. edicto die 4. Apr. 1770 in tota dioecesi Civitatis publicato mandavit, ne missae priv. fer. 5. Coena D. celebr. essent, sed omnes de Clero SSimum de manu Sacerdotis celebrantis missam sub poena suspens. ipso facto incurrendae sumere tenerentur.

Nos igitur ipsius Episcopi pietatem ac in s. ritibus conservandis curam plurimum commendantes, omnibus et singulis Dignitatibus et Canonicis aliisque de Clero tam Cathedralis quam aliar. ecclesiarum civitatis et dioecesis Civitatis virtute s. obedientiae sub indignationis Nostrae aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis tenore prae-

sentium praecipimus, ne ipsi privatas missas in fer. 5. Coena D. celebrare audeant seu praesumant, sed omnes juxta ritum SSimum de manu Sacerdotis celebrantis eadem die sumere omnino debeant ac teneantur.

Non obstantibus Quibuscunque ...

Romae die 30. Jan. 1771.

(Bull. etc. Continuatio t. IV. p. 263 Ed. Rom. 1841) Vd.: *Orator. privat.* (Bullam Pii VIII. de die 29. Januar. 1830)

c) Secunda.

Cf.: *Officia hebd. maj. in parochiis.*

Non licet Monialibus s. Agathae Florent. fer. V. in coena Dom. in eadem Ecclesia ultra missam ordinariam alteram lectam celebrare. n. 1746 die 19. Decb. 1654.

Canonicis Capituli Cathedr. Camerinen. petentibus: an ipsis liceat plures missas celebrare fer. V. in Coena Dom., in qua cadit festum ss. Annunciationis? S. C. resp.: „licere“ et jussit, ut a Cardinali Vicario singularum Ecclesiarum Urbis Rectoribus idem notificetur. n. 2040 die 20. Mart. 1660.

Ad petitionem Congreg. Missionis Provinciae Neapolitanae, ut Tyrocini domus Neapol. sequenti Indulto ut ceterae gaudeat, nimirum:

Celebrandi Feria V. in Coena Domini januis clausis unicum Missam lectam ante solemnem, in qua ministeret S. Eucharistia Confratribus, ministeriis domus temporalibus addictis.

Et S. eadem C... respondendum censuit:

„Pro gratia.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 27. Aug. 1836. N. 4793. Ad I. 3.

Confratribus s. Crucis non licet celebrare seu celebrari facere missam sol. in Capella s. Joannis fer. V. majoris hebdom. n. 3297 ad 1 die 20. Decb. 1692.

Episcopus Gerund. exposuit, in dicta civitate et Dioecesi quotannis cele-

brari de praecepto ex voto 2. Apr. fest. s. Francisci de Paula, quod vero 1695 incidit in diem Sabbati s. S. C. resp.: Translationem Officii et obligationem audiendi missam in casu proposito ad primam diem non impeditam juxta rubricas arbitrio Episcopi remittendam. n. 3337 die 7. Aug. 1694.

Ad dubium: an celebratio missae sol. Fer. V. in Coena Dom. sit de juribus mere parochialibus? S. C. resp.: Negative, prout jacet, sed spectare ad Parochos. Die 10. Decbr. 1703 approb. Clem. XI. 12. Jan. 1704.

Vd.: *Missae* (duae ab uno Sacerd. uno die etc. decr. Bened. XIV.)

20) Missa „Cognovi.“

Dub. circa Epistol. Missae „Cognovi.“

In Missali Rom. pro nec Virgine nec Martyre habetur Missa communis *Cognovi* cum Epistola: *Mulierem fortem*, et in fine Missae assignatur Epistola: *Viduas honora*, sub Rubrica sequenti: *Item alia Epistola pro Vidua*. Quando autem in Proprio Sanctorum occurrit Festum S. Viduae, pro qua Missale assignat simpliciter Missam *Cognovi*, remittendo ad Commune et de Epistola silendo, quemadmodum fit die IX. Mart. pro S. Francisca Vid. Rom., an tunc legenda est Epistola *Mulierem fortem*, an e contra Epistola *Viduas honora*? an tandem utralibet pro Sacerdotis arbitrio eligi potest?

S. C... rescribendum censuit: „juxta votum Magistri Caeremoniarum“ nimirum:

„Negative, nisi aliter ex concessione constet.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. N. 4930 ad V. Die 11. Septbr. 1841.

21) Color paramentorum.

Vd.: *Color paramentorum.*

22) In Commem. Omn. fid. Def. in Regnis et Dominiis Hispan. et Portug. tres possunt missae celebrari.

Vd.: *Commem. Omn. fid. def.*

Benedictus PP. XIV.

Quod expensis omnium rationum momentis et gravissimis suffragiis virorum dignitate, pietate ac sapientia insignium concurrentibus, alias a Nobis decretum est id, ut solennioribus Apostolicae auctoritatis Nostrae documentis confirmatum, quemadmodum est hoc in more positum laudabilique Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum instituto commendatum, majorem cum observantia debitae executioni mandetur, novo Apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communire exoptamus. Sane nuper edidimus Decretum tenoris sequentis: *Benedictus PP. XIV.* Cum Nobis Carissimus in Christo Filius noster Ferdinandus VI. Hispaniarum Rex Catholicus enixamque petitionem exhiberi fecisset, ut quae disciplina viget in suo Aragoniae Regno (cujus appellatione tum ipsa Aragonia tum etiam Valentiae, Cataloniae et Majoricae Ditiones comprehenduntur), ut scilicet in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos saecularis duas, regularis autem tres Missas celebrare possit; eadem ad caetera quoque Regna et Domina eidem Ferdinando Regi subjecta auctoritate nostra extenderetur; cumque eodem fere tempore Carissimus quoque in Christo Filius noster Johannes V. Portugalliae et Algarbiorum Rex Illustris similem instantiam apud Nos promoveri fecisset, ut nempe in omnibus Regnis atque Dominiis sibi subjectis cuilibet Sacerdoti tam saeculari quam regulari facultas per Nos fieret tres Missas praefato die celebrandi; Nos quidem hujusmodi petitionum gravitatem pensantes ac memores similium postula-

tionum, quae aliis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris parum felici exitu exhibitae fuerunt, necessarium omnino putavimus totam rei summam maturo examini subicere: Quamvis minime hospites in ea Nos reputare possemus; siquidem olim ipsius momenta, pro Officio, quod tunc gerabamus, Secretarii Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini executioni et interpretationi praepositae, diligenter Nobis expendenda fuerunt; cumque etiam hac de re plura scripserimus in nostro Opere *de Festis Domini part. 1. pag. 247*, item in *Tractatu de Sacrificio Missae sect. 2. pag. 169*, juxta Editionem Patavinam, et in una ex Institutionibus Pastoralibus pro nostro Bononiensi Clero Populoque editis: *est XXXI. in Latina versione Romae impressa pag. 185 et 186*, ac demum in nostris literis ad Episcopum Oscensem datis die XVI. Martii anni MDCCXLVI; quae jam seorsim Typis vulgatae in Bullarii nostri Tomo II. propediem edendo locum habebunt*).

Sane quum Nos in minoribus constituti praefatae Congregationi Concilii, ut supra diximus, a Secretis essemus oblatusque esset supplex Libellus, in quo ex parte cl. mem. Philippi V. Hispaniarum Regis idipsum studiosissime petebatur, quod nunc a Ferdinando Rege ipsius filio iterum petitur, Officii nostri esse putavimus, instantiam hujusmodi majori cum apparatu, quemadmodum Catholici Regis dignitas postulabat, Congregationi repraesentare. Idcirco peculiaris Dissertatio a Nobis elucubrata fuit, quae inserta est in consueto folio Relationis Causarum, quod a Secretario confici et singulis Cardinalibus tradi consuevit. In qua primum Dissertatione

*) Vd.: *Missae* (duae non sunt leg. ab eod. Sacerd. uno die — decr. Bened. XIV. die 16. Mart. 1746.)

rem ipsam accuratissime pro viribus exposuimus neque omisimus originem investigare illius disciplinae, quam diximus in Aragoniae Regno vigere; deinde nonnullas in contrarium indicavimus resolutiones, quae alias ad hujusmodi postulata prodierant; tum aliam memoravimus petitionem, quae olim pro Portugalliae Regnis facta fuerat Praedecessori Nostro Clementi Papae IX., ut trinas liceret Missas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare, de qua tamen ob immaturam Pontificis mortem nihil decretum fuit. Quibus omnibus addidimus, quod, quum hoc idem ab Hispaniarum quodam Rege Philippo IV. pro omnibus tam Saecularibus quam Regularibus Regnorum suorum Sacerdotibus postulatum fuerit, vel saltem postulandum fuisse non ignoraretur, ideoque plura rationum factorumque monumenta, pro hujusmodi concessione impetranda, collecta tunc fuisse constant, Nobis datum non fuerat hujusmodi Collectiones ad causam maxime opportunas reperire: ut videre est in folio pro Congregatione diei 11. Maji anni MDCCXXII. a Nobis conscripto, quod nunc in Thesauro Resolutionum praefatae Congregationis Concilii *Tom. II. pag. 169* et seq. impressum reperitur. Quum autem bon. mem. Ludovicus Cardinalis Belluga Congregationi praedicta die habitae interfuisset, meminimus ipsum de nostra Dissertatione favorabiliter loquutum, in nostram quoque sententiam devenisse, ut necessarium putaret allegationes illas tempore Philippi IV. adornatas inspicere ipsumque in se recepisse, ut ipsas diligentissime conquiri curaret. Quapropter Rescriptum prodiit: Non proposita: eoque Rescriptum factum est, ut Instantia tunc quidem pro rerum circumstantiis minime admissa censeretur, non tamen omnino et perpetuo rejecta; quin potius relictus fuerit locus ulte-

riori rationum atque factorum examini, si quae aliquando ad ipsam petitionem magis juvanda deducerentur.

Quum itaque nunc ad Nos ipsos in Apostolica Sede inscrutabili Dei iudicio collocatos praefatae petitiones jamdudum desertae, instantibus praefatis Carissimis in Christo filiis nostris delatae fuerint, omnia, quae ad plenam rei cognitionem quomodocumque pertinerent, colligi mandavimus, quaeque olim desiderata sunt, in lucem proferre. Ut autem nihil sine aliorum prudenti consilio statueremus, peculiarem delectorum Virorum Congregationem ad negotii hujus examen deputavimus. His omnibus et singulis exhiberi mandavimus quaecumque ad causam pertinebant, eaque potissimum, quae nuper reperta sunt, sed in praecedentibus propositionibus exhibita non fuerant; quae omnia justo volumine comprehensa typis edita sunt Romae hoc anno MDCCXLVIII., datoque aliquot Mensium spatio, quo res accuratè perpenderet, jussimus, ut singuli sententiam suam scripto traditam ac sigillo ob-signatam ad Nos transmitterent: quae omnia diligentissime sunt peracta.

Denique Nos ipsi aliorum laboribus laborem nostrum privataque studia nostra eorum studiis adjunximus; et inspectis libratisque tum vocis documentis tum ipsorum Consultorum suffragiis (ex quibus, quum quatuordecim numero fuerint, duo dumtaxat petitionem rejiciendam esse, reliqui verò duodecim Indultum concedi posse censuerunt) omnibus rite ac mature pensatis invocato etiam Divini Luminis adjutorio piis ac religiosis precibus dictorum Carissimorum in Christo Filiorum Nostrorum Ferdinandi VI. Hispaniarum Catholici et Joannis V. Portugalliae et Algarbiorum Regum Illustris libenter annuentes *omnibus et singulis in eorum Regnis atque Dominiis actu commorantibus tam*

saecularibus quam regularibus Sacerdotibus nunc existentibus pro tempore futuris, quamdiu in praedictis Regnis atque Dominis moram traxerint et non alias, facultatem perpetuis futuris temporibus duraturam concedimus et impertimur, ut singulis annis die secunda Novembris seu die sequenti juxta Rubricas Missalis Romani, qua nempe Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum ab Ecclesia Universali recolitur, tres Missas singuli celebrare possint et valeant, contrariis quibuscumque Constitutionibus, litteris, regulis, ritibus et consuetudinibus minime obstantibus.

Novimus sane inter Scriptores rerum moralium non satis convenire: an Sacerdotibus celebrantibus Missam pro Defunctis juxta praedictas Rubricas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum liceat hujusmodi Missae fructum medium, quem vocant, alicui peculiari defuncto applicare, an vero pro omnibus omnino defunctis Fidelibus illum applicare teneantur. Utique autem se res habeat de hac controversia, Nos quidem, quibus in Aragoniae Regno licitum erat ante hoc nostrum Indultum duas vel tres respective Missas praedicta die celebrare, hortamur in Domino, ut earum fructum medium omnibus in Christo quiescentibus applicent; his vero, qui in posterum hujus Indulti vi, aut tertiam in eodem Regno Missam aut secundam et tertiam in aliis Regionibus, ad quas hoc idem Indultum extenditur, celebraturi sunt, districtè jubemus atque praecipimus, ut eorum fructum medium, non quidem alicui peculiari defuncto sed in suffragium omnium fidelium Defunctorum omnino applicent, expresse declarantes hanc esse nostram mentem et voluntatem, neque Nos alias, absque hujusmodi lege et conditione hoc ipsum Indultum unquam concessuros fuisse. Scimus etiam anti-

quis justisque titulis innixum esse usum, quo solent Presbyteri Eleemosynam accipere pro celebrandis sive pro applicandis Missis juxta offerentium mentem; qua de re latè disseruimus in nostra Institutione Ecclesiastica LVI, fusiùs autem in opere nuperrimè vulgato de Synodo Dioecessana Lib. V. Cap. 8. et 9. An vero, quum retro actis temporibus in Regno Aragoniae duae Missae a Sacerdotibus, tres autem a Regularibus in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum celebrarentur, duplex quoque ab illis seu respective triplex Eleemosyna acciperetur, id ignoramus; sed facile credimus id usitatum fuisse, quum ubique fere receptum sit, ut in solennitate Nativitatis Domini pro tribus Missis tria recipiantur charitativa stipendia. Ideoque de illis, qui ante hoc tempus in Aragoniae Regno duas vel tres respective Missas praedicta die celebrantes duas vel tres eleemosynas accipiebant, nihil innovandum censemus. Is vero, qui imposterum in eodem Regno tertiam Missam vigore praesentis Indulti celebrabunt, justis de causis ac sub poenis inferius dicendis districtè prohibemus, ne pro ipsa Missa ullam Eleemosynam accipere praesumant, sicut etiam iis, qui in aliis locis hoc eodem Indulto comprehensis, secundam tertiamque Missam celebrant, simili ratione ac sub iisdem poenis praecipimus atque jubemus, ut non nisi unam accipiant eleemosynam, videlicet pro prima Missa dumtaxat et in ea tantum quantitate, quae a Synodalibus Constitutionibus seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit, decernentes nullam omnino causam nullumque praetextum aut obtentum ad declinandam hujus praeccepti nostri observantiam suffragari posse, ne voluntariam quidem Fidelium oblationem, nam nec a sponte dantibus quidquam recipi posse statuimus, nec

alium quemcumque colorem, quod nempe eleemosyna detur pro celebratione non autem pro applicatione Missae; aut quod applicatio facienda sit pro omnibus Fidelibus Defunctis, sive quod offerentes cupiant ipso dumtaxat oblationis merito Defunctos juvare; hi enim poterunt per alia pia opera sive per alias eleemosynas in alios quoscumque quam in Sacerdotem eique conjunctos erogandas Defunctorum Animabus suffragari, non item gravem indigentiam aut paupertatem Sacerdotis celebrantis aut Ecclesiae aut Coenobii, quibus nimirum aliis quibuscumque rationibus subveniendum erit; nec magnam copiam eleemosynarum, quae congestae fuerint pro Missis celebrandis ipsa die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibusque aliter satisfieri non possit; quum minimè liceat eleemosynas accipere pro Missis, quae celebrari nequeunt intra tempus ab offerentibus aut a legibus praefinitum; neque porro Missarum onera non adimpleta, pro quibus eleemosynae jam receptae aut attributi redditus jam percepti fuerint; Nos enim nolumus hujusmodi onera impleri per celebrationem Missarum, quae Indulto nostro permittuntur: neque demum legem foundationis jam factae aut in posterum faciendae cum augmento eleemosynae pro secunda et tertia Missa; quum Nos hujusmodi fundationes sive factas sive faciendas etiam ex nunc prout ex tunc et è contra hac in parte nullas et irritas esse et fore decernamus. In summa volumus et statuumus, hujusmodi Missas de novo concessas omnibus in communi fidelium Defunctorum Animabus absque ulla prorsus eleemosynae perceptione applicari; contrafacientes autem poenam suspensionis a Divinis ipso facto incurrere decernimus ejusque relaxandae facultatem Nobis et Successoribus nostris Romanis Pontificibus expresse reser-

vamus. Hanc vero facultatem communicamus Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis sive aliis Locorum Ordinariis, ut auctoritate nostra Apostolica et tamquam Apostolicae Sedis Delegati, ubi sic expedire prudenter in Domino judicaverint, eadem canonicè utantur erga quoscumque praeccepti hujus nostri violatores, qui ad ipsos humiliter recursum habuerint, sive Saeculares sive Regulares sive alio quocumque modo ab eorum jurisdictione exemptos; hac tamen apposita lege, ut incursum hujusmodi suspensionem nunquam relaxare valeant, nisi prius eleemosynas a delinquentibus ratione praedictarum Missarum perceptas ab ipsis reipsa receperint; quas ipsi Ordinarii in alios pios usus (non tamen in subventionem eorundem Sacerdotum aut personarum ipsis vel sanguine vel necessitudine conjunctarum aut in eorundem Coenobiorum, Domorum et Ecclesiarum utilitatem, quantumvis ipsi aut personae, Coenobia, Domus et Ecclesiae hujusmodi notoria paupertate laborarent) arbitrio suo erogare debent. Sciant tamen, quod facultas hujusmodi, quam ad relaxationem suspensionis eo modo incursum iisdem delegamus, nequaquam extenditur ad dispensationem ab irregularitate, in quam inciderent, qui post suspensionem, ut praesertur, incursum, in Sacro Altari ministrare praesumerent; hujus enim dispensationis concedendae facultatem Nobis et Successoribus nostris Romanis Pontificibus privativè et perpetuè reservamus.

Ad hunc igitur solum et unicum finem, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum multiplicationis Ecclesiae Militantis suffragiis piorum Animae in Purgatorio detentae subleventur, omnibus tam è Saeculari quam è Regulari Clero Sacerdotibus in Regnis atque Dominis duorum praedictorum Regum Ditioni subjectis nunc

et in posterum pro tempore existentibus concedimus et indulgemus, ut praedicta die tres Missas singuli celebrare possint et valeant. In quo sicuti praedictorum Consultorum concordibus fere sententiis consiliisque adhaesimus, ita a pia Matris Ecclesiae spiritu nequaquam discesse Nos arbitramur. Siquidem animadvertimus minimè alienam fuisse Ecclesiam a permittenda Sacerdotibus Missarum iteratione in unico die, ubi de juvandis Defunctorum Animabus ageretur et quidem etiam postquam desierat vetus illa disciplina, de qua infra sermo erit, qua scilicet Sacerdotibus licebat pluries in die rem Divinam peragere, ac post latam legem de unica tantum Missa, praeterquam in die Natalis Domini ab unoquoque Sacerdote celebranda.

Nova haec disciplina a Praedecessoribus Nostris Innocentio III. et Honorio III. Romanis Pontificibus stabilita fuit, quorum hac de re leges extant in Libris Decretalium Titulo: *De celebratione Missarum*; Innocentii quidem in Cap. *Consulvisti*; Honorii verò in Cap. *Te referente*. Quum autem Innocentius in citato Capitulo haec verba posuisset: *Excepto die Nativitatis Dominae, nisi causa necessitatis suadeat*, non solum Glossa Canonica eidem Capitulo apposita hujusmodi necessitatis causam tunc fore dicit, quum celebranda sit Missa pro aliquo recens defuncto, ibi: *sed quam dicit necessitatem?* Respondeo: *si celebravit de die et postea etiam moriatur aliquis*: verum etiam in Synodo Oxoniensi post ipsius Innocentii obitum sedente jam Honorio III. celebrata decretum videmus, ut si Defuncti corpus Ecclesiasticae Sepulturae mandandum existat, Sacerdos duas Missas eodem die celebret, unam de Officio diei, aliam pro Defunctis, ut videre est in *Collectione Conciliorum Angliae Londini edita anno MDCCXXXVII. Tom. I.*

pag. 586 numero 7. Idque etiam distinctius in aliis Conciliis traditum invenitur, a quibus praescriptum est, ut Sacerdos in prima Missa Purificationem non sumat utque tunc solum secunda Missa pro Defunctis ab eodem Sacerdote celebretur, quando Cadaveris praesentia occurrat die Dominico seu alio die Festo, nec alius adsit Sacerdos, qui hujusmodi secundam Missam celebrare possit, quemadmodum habetur in *Constitutionibus Sodoren-sibus anno MCCXCI. conditis Cap. 36 in eadem Anglicana Collectione Tom. II. pag. 179*, idemque in Concilio Rotomagensi habito anno MCCXXXI. num. 14. in *Collectione Harduini Tom. VII. pag. 186 et seq.* Qua de re Nos ipsi olim egimus in nostra Institutione Ecclesiastica XXXVI. pag. 186. Neque verò haec in praesenti à Nobis commemorantur, quasi nunc etiam, praesente Cadavere, duae Missae ab eodem Sacerdote celebrari possint; quum juxta hodiernam disciplinam liceat Presbytero relicta Missa de die Missam pro Defuncto, si praesens sit Corpus, cum cantu celebrare, nisi tanta fuerit diei solennitas, quae Missam pro Defunctis omnimode excludat. Sed ideo haec dicta sunt, ut appareat, quam propensa fuerit Ecclesia ad permittendam Missarum iterationem quantumvis generaliter interdictam, ubi de procurandis fidelium Defunctorum suffragiis ageretur. Quo nempe spiritu Nos etiam adducti, Missarum Sacrificia in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum a singulis praedictorum Regnorum atque Dictionum Sacerdotibus ter celebrari posse concessimus.

Sed duae aliae praeterea causae eaeque satis graves ad id concedendum Nos impulerunt. Prima est, quod quum antiquissima sit in Regno Aragoniae consuetudo, ut praedicta die tres Missae a Sacerdotibus Regularibus duaeque a Saecularibus celebrentur,

eaeque non modo nunquam reprobata fuerit, sed etiam a Praedecessore nostro Julio III. aut Paulo III. vivae vocis oraculo confirmata asseratur utpotè quae nec Divino nec naturali juri contraria sed solum a jure communi Ecclesiastico vetita dignoscitur; cumque constet eandem consuetudinem non solum in Regno Aragoniae proprie dicto utque in alio Valentiae et in Comitatu Cataloniae, sed etiam in Regno Majoricae longius dissito tamquam ipsius Aragoniae Regni Appendicem viguisse et vigere; utique nec novam omnino rem nec in exemplum alibi trahendum Nos fecisse censemus, dum hujusmodi consuetudinem sive ritum auctoritate nostra extendimus ad alia Regna et Dominia Hispaniarum Regi subjecta atque insuper ad ea, quae alteri quidem Principi, nimirum Lusitaniae Regi parent, sed magna ex parte finitima et proxima sunt praedictis Hispanici Regis Ditionibus. Regula quippe canonica est, ut in Regionibus conterminis atque inter se proximis Rituum ac Disciplinae uniformitas statuatur atque servetur. Unde etiam Praedecessor noster S. Siricius Pontifex Maximus, quum ad Himerium Episcopum Tarraconensem scripsisset de variis Ecclesiasticae Disciplinae capitibus, de quibus ille S. Damasum ipsius Decessorem consuluerat, eidem mandavit, ut Apostolica rescripta non solum cum Provincialibus suis communicaret, sed ea etiam transmitteret ad *Carthaginienses, Lusitanos atque Gallaecos.*

Quamvis verò antehac in Regno Aragoniae Sacerdotibus Regularibus praedicta die tres Missas celebrantibus Saeculares Presbyteri duas tantum celebrarent, Nos tamen aequum judicavimus hos illis per omnia exaequare, ut esset inter ipsos Ritus uniformitas: quae res in causa fuit, ut in Ecclesia Catholica aliae quoque diversitates sublatæ fuerint, quantumvis tolerabiliores

videri possent. Ita quum in Gallias regnante Carolo Magno inductus fuisset una cum Ordine Romano Ritus celebrandi tres Missas in die Natali Domini nostri Jesu Christi, quum antea duae tantum celebrari solerent; novum hunc Ritus soli primum Episcopi adoptarunt ac sibi suaeque Dignitati proprium fecerunt, sed postea ad evitandam difformitatem hujusmodi facultas ad omnes inferioris quoque Ordinis Sacerdotes extensa fuit, quemadmodum a Nobis demonstratum est in *Tractatu de Festis Domini par. 1. pag. 248.*

Applicationem autem Missarum hoc nostro Indulto concessarum, *tertiaè nimirum a Sacerdotibus Saecularibus in Regno Aragoniae, secundae verò ac tertiae ab omnibus existentibus in aliis Regionibus hoc Decreto comprehensis, jussimus fieri* non quidem pro aliquo peculiari Defuncto sed pro omnibus Fidelibus Defunctis in genere, tum quia id magis consentaneum visum est piae ac religiosae menti duorum Regum hujusmodi Indultum expetentium tum quia Ecclesiae spiritus id maxime postulabat; siquidem constat *generalem Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum* secundae diei Mensis Novembris affixam jam usque a saeculo nono ab Amalario Fortunato propositam, vertente autem saeculo undecimo a Beato Odilone Abbate pro omnibus Monasteriis sibi subjectis receptam atque ab his demum Praedecessoris nostri *Johannis Papae XIX. auctoritate ad universam Ecclesiam propagatam fuisse* ea potissimum de causa, ut post celebratam praecedenti die Festivitatem in honorem Sanctorum omnium cum Christo regnantium, omnium quoque Justorum Animae in Purgatorio detentae ac coelestis gloriae consortium expectantes generalibus Ecclesiae suffragiis adjuventur. De hac re latius disseruimus in Opere, quod scripsimus in Acta nonnullorum Sancto-

rum, quorum Officia celebrantur in nostra Bononiensi Civitate ac Dioecesi, in *Editione Patavina Cap. 22*. Unde satis patet, quam justa de causa praedictas Missas non aliquibus peculiari- bus Defunctis sed omnibus in com- muni Fidelibus in Christo dormientibus applicandas esse voluerimus.

Quàm verò Nobis semper cordi fuerit, ut juxta Sacrorum Canonum praescrip- tum a celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii omnem avaritiae speciem om- nemque sordidè captandi lucri prae- textum longissimè arceremus, satis compertum esse putamus ex his, quae tum in Archiepiscopatus Bononiensi tum in Supremi Pontificatus admini- stratione in hunc finem praestitimus. Etenim inter Pastorales Institutiones nostros praeter quinquasimam sextam, in qua plures hac de re Ecclesiasticae Disciplinae regulas demonstravimus et omnino observari praecepimus, adest etiam nonagesima secunda, in qua Sanctissimis Apostolicae hujus Sedis Decretis inhaerentes pravam quam- dam damnavimus consuetudinem, qua contendebant nonnulli licitum esse Mis- sas ita celebrare, ut earum fructum medium in antecessum applicarent pro iis, qui postea eleemosynam offerendo illius applicationem expeterent. Inter nostras verò Apostolicas Constitutiones extant vigesima secunda et vigesima tertia, quibus severissimè vetitum per Nos est, ne eleemosynae *) pro Mis- sarum celebratione colligantur in iis locis, in quibus major est earum Taxa Synodalis, ut deinde Missae alibi ce- lebrandae committantur, ubi hujusmodi Taxa in minori qualitate statuta est. In novissimo autem Tractatu Nostro *de Synodo Dioecesaana lib. 5. cap. 8. num. 9 et 10* alia complura ad hanc rem pertinentia studiosè collegimus.

Ab hac itaque tramite neutiquam

*) Vd.: *Stipendium*.

recedendum Nobis esse judicantes *de- crevimus supra atque statuimus, ut pro celebratione aut applicatione Mis- sarum hoc nostro Indulto concessarum nullum prorsus stipendium quo- cumque praetextu aut colore accipi valeat*; quod ut a Nobis in praesenti casu decerneretur, specialis quaedam et urgens ratio Nos impulit praeter generales hasce, quas paulò ante indicavimus. Perspectum est enim om- nibus in Ecclesiastica Historia paulum modò versatis plures olim fuisse dies polyliturgicos, quibus nimirum singuli Sacerdotes plus quam semel Missarum sacrificia peragebant, ut erat praeter Natalem Domini *prima dies Mensis Januarii, Feria V. in Coena Domini, Vigilia Ascensionis, tres dies jejunii infra octavam Pentecostes aliique dies Festi nonnullorum Sanctorum memo- riae dicati, ut Nativitas S. Joannis Baptistae et Natalitium SS. Aposto- lorum Petri et Pauli*, de quibus Nos ipsi monumenta protulimus in Opere *de Festis D. N. Jesu Christi part. 1. pag. 247*. Ut autem hujusmodi con- suetudo generaliter tolleretur et *fa- cultas celebrandi plures Missas uno die ad solum diem Natalis Domini coarctaretur, non alia de causa factum est, quam ut avaritiae et sor- didis quaestibus adimeretur occasio vel saltem oblocutionibus silentium imponeretur*; quae scilicet ex eleemosynis pro Missarum numero multiplicatis aut ortum habuerant aut oriri posse vide- bantur. Hunc esse proprium sensum Canonis: *Sufficit, de Consecr. dist. 1.* jam demonstratum per Nos est in literis ad Venerabilem Fratrem Episcopum Oscensem datis §. *Excepta et sequen- tibus*. Ideo autem scripta Nostra in hoc Decreto frequenter in medium pro- tulimus, ne quae jam alibi a Nobis dicta sunt, hic denuò explicare et quae alibi demonstravimus, iterum rationi- bus comprobare cogeremur. Id verò,

quod supra posuimus, a duobus prae- terea scriptoribus in Ecclesiasticis rebus apprime versatis asseritur, Eorum alter est *Thomassinus in Opere de veteri et nova Ecclesiae disciplina par. 3. lib. 1. cap. 74. num. 6*, ubi post alla- tam Constitutionem Odonis Episcopi Parisiensis, videlicet: *Nullus bis in die Missam audeat celebrare aut cum duplici Introitu, nisi in magna neces- sitate*, haec subdit: *Cum pecunia tunc ut plurimum ad Missam offerretur, hinc avaritiae species vel suspicio quaedam iterationi Missarum affri- cabatur*. Alter est *Vice-Comes in Trac- tatu de antiquis Missae Ritibus lib. 3. cap. 28. circa fin.*, ubi postquam anti- quam exposuit disciplinam, qua per- mittebatur Sacerdoti plures Missas in die celebrare, de ipsius disciplinae mutatione deinde sic ait: *Abrogationis autem causam, quantum equidem di- vinare possum, dedere nundinarios quidam, qui majoris pietatis materiam ad turpe lucrum detorquere non sunt veriti et fecerunt, ut libertas prisca saltem hisce Regionibus erepta sit ac desierit*.

Si igitur multiplicitas Missarum, quae Sacerdotibus olim pluribus per annum diebus permittebatur, ideo sublata fuit, ut avaritiae quaestibus aut obloquen- tium suspicionibus obviam iretur, jure ac merito Nos Indultum hoc Nostrum, quo Sacerdotibus in praefatis Regnis atque Dominiis commorantibus tres Missas in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum celebrare per- missimus, hujusmodi expressa lege at- que districta sanctione communire de- buimus, ut ne quis eorum pro Missis de novo concessis ullum stipendii genus quacumque de causa et quolibet prae- textu aut colore recipere posset.

His accedit, quod quum petitiones inspexerimus ab aliquibus peculiari- bus Episcopis Apostolicae Sedi olim oblatas pro concessime celebrationis duarum

aut trium Missarum in die Com- memorationis omnium Fidelium Defunc- torum simulque contraria expenderi- mus Rescripta tunc respectivè emanata, agnovimus praedictas petitiones huic potissimum rationi innixas fuisse, quod scilicet tanta esset eleemosynarum copia, quae ea die pro Missarum celebratione a piis Fidelibus offerebantur, ut aliter illis satisfieri non posse assererent, quam si facultas indulgeretur Sacer- dotibus, ut plures Missas ea ipsa die celebrare possent: contra verò in re- jiciendis iisdem petitionibus id maximè spectatum fuisse agnovimus, ne per hujusmodi concessionem Ordo Sacer- dotalis apud detractores in aviditatis suspicionem et infamiam adduceretur. Qua etiam de causa Nos hanc con- cessionem nostram praedicta lege ad- jecta suspicionibus hujusmodi nullum locum praebere posse voluimus.

Haec sunt, quae concedenda esse judicavimus, quaeque de praemissorum consilio et Apostolica auctoritate Nostra concessimus; atque haec sunt, quae in hujusmodi Indulti concessionibus prae oculis habuimus; quaeque omnia exponenda duximus praesenti Decreto, quod a Nobis conditum manu nostra subscripsimus hac die XXI. Augusti Anni 1746, decernentes easdem prae- sentes literas firmas, validas et effi- caces existere et fore suosque ple- narios et integros effectus sortiri et obtinere non obstantibus Quibuscum- que (Bull. r. t. XVII. p. 276.).

23) De Communi.

(Quae legenda?)

Namurcen.

Debitum ordinem ex Rubricarum no- titia descendente pro Divinis Officiis rite respectu disponendis servare ma- ximopere percipiens Editor Kalenda- rii Ecclesiae et Dioecesis Namurensis,